

§. 7.

Hujus rei efficacia vel ex eo intelligitur, quod non solum plantæ, alias palustres in alpibus montanæ fieri solent; ex. gr. *Vaccinium uliginosum*; *Pedicularis lapponica*; *Betula nana*; unde variationes quoque formatae ex. gr. *Ledum palustre* β . *dilatatum*; *Stellaria uliginosa* β . *alpestris* Hartm.; *Carex canescens* β . *alpiolca*; *Carex panicea* β . *sparisiflora*; *Carex aquatilis* β . *epigejos* etc.; sed etiam, quod idem locus pluries quotannis inundatur, rursusque, dissolutis nivibus, exsiccatur, formam ambigam nanciscuntur plantæ, sicut ipsa elementa, quibus circumdantur. Sic Salices variæ præsertim ad ripas fluminum, bis quotannis inundatas, duplici sæpe occurrunt formâ, scilicet foliis inferioribus angustatis glabris, amentisque foliaceis, quia serius explicantur: ideoque dispositio, ex amentis desumpta, Salicum, valde incerta videtur; nam plurimas Salicum species, in Lapponia saltim, videre licet amentis foliaceis, foliisque orbatis, ne ipsa quidem Salice limosa excepta. E contrario folia superiora, quæ aqua numquam tangit, magis in latitudinem efformata, et amenta sæpius præcocia; quæ ratio in uno sæpe eodemque individuo deprehenditur.

§. 8.

Pari modo plerasque plantarum variationes existisse opinor. Nam cum momenta, quæ ad vegetationem exci-